Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25974
Copyright: Admont, Benediktinerstift

96

Non omnium quae a maioribus constituta sunt ratio reddi potest.

usque ad consummationem seculi. Unde quamvis indu-
lgentiam tam sperando in praesentem. Congrue ieiunium
xl. numero statutum est esse continue dominice passionum
quia significat nos debere a mundi amicitia
continere ut dominum sequi valeamus. In abstinentia autem
quadragenarius numerus custoditur quia virtus deca-
logi per iiii. libros evangelii impletur. Cum evangelium
custoditur. Vel quia decalogum dominum et proximum
diligere praecipimus et motu corporis quod ex iiii.
subsistit elementis caritas dei et proximi
violatur. Apte ad diluenda peccata in qua-
dragenarium numerum tempus poenitentiae surgit.

Et accedens temptator dixit ei. Si
filius dei es dic ut lapides isti panes
fiant. Qui respondens dixit. Scriptum est. Non
in solo pane vivit homo sed in omni verbo quod pro-
cedit de ore dei. Credidit aliquando diabolus de-
bellatorem suum venisse in mundum. Sicut per ob-
sessum hominem dixit. Quid nobis et tibi fili dei. Venis-
ti ante tempus torquere nos. Dominum tamen illum esse
dubitavit mortalia patiendo. Scriptum
est. dixit dominus quia humilitate non potentia pro-
posuerat vincere diabolum. Intendebat
demonum princeps ex mutatione lapidum
in panes virtutem potestatis in eo agnos-
cere. In homine oblectamento cibi potentiam
esurientis illudere. Verum dominus de deuteronomi-
o testimonium sumens ostendit non in pane
hoc solitario sed in verbo dei alimonia eternita-
tis esse speranda. Tribus modis temptatio fit. sug-
gestione delectatione consensu. Christus autem sug-
gestione sola temptatus est quia delectatio peccati
mentem eius non momordit. Non indignum temp-
tari fuit illi qui occidi venerat ut sua temp-
tatione nostras vinceret. sicut sua morte
nostra tulit peccata.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ci-
vitatem et statuit eum super pinnaculum templi.
Non est mirum si se permisit ab illo assumi et du-
ci et statui. qui se pertulit a membris illius cruci-
figi. Potest autem sic intelligi. Assumpsit
eum diabolus. id est temptando invasit. et statu-
it eum super pinnaculum templi. id est occasio fuit
quare dominus a suo spiritu sit ductus et statutus illuc.
Pinna vel pinnaculum est fastigium. id est summi-
tas. Solebant enim antiqui sicut adhuc fit in
pluribus locis superiora domorum vel tem-
plorum facere plano scemate. ut ibi possent
stare et agere quae vellent. Unde dominus ad
apostolos. Quod in aure auditis praedicate super
tecta. Sancta civitas Ierusalem dicebatur in qua
templum et cultus dei secundum legem Moysi.

Et dixit ei. Si filius dei es mitte te de-
orsum. Scriptum est enim. quia angelis suis
mandavit de te. et in manibus tollent te
ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
In omnibus temptationibus hoc agit dia-
bolus ut intelligat si filius dei sit.